

cione ad sanctitatem suam sit equa una gutta maris. — Item dicit, quod sit sanctior beate virginis Marie.

Item dicit, quod in die conversionis S. Pauli fuerit confessus et perceperit sacramentum corporis Christi non ex aliqua causa quacumque nisi ad abolendum infamiam contra eum exortam de heretica pravitare.

Item dicit, quod, quia sit formatus secundum imaginem innocentis agni, ideo oportet eum presidere extremo iudicio^{a)}.

Presentibus supradictis testibus excepto Custodi, domino priore^{b)} et decano Conrado Geisenfelder profess[ore]^{c)} Johanne Plamlocher, Lienhardo Pickel, Heinricho Pidinger, Conrado oblaico, Conrado Zapp^{d)}.

Item anno quo supra, feria post purificationem beate virginis gloriose, comparuit predictus Conradus Kannler coram prenominato domino Eberhardo inquisitore et denuo requisitus et interrogatus, an a predictis erroribus suis vellet desistere vel in eisdem permanere, respondit, quod libenter vellet stare informacioni et declaracioni predicti domini inquisitoris et ab erroribus suis desistere et credere id, quod tenet et docet sancta mater ecclesia.

Item interrogatus, an hoc faciat solum ex timore, respondit, quod, si eciam sibi nullum immineret periculum corporis vel rerum, adhuc^{e)} vellet desistere ab erroribus suis predictis, quia, licet alias crediderit, quod huiusmodi dicta sua processerint ex instinctu spiritus sancti, tamen pronunc ad cor reversus credit illa processisse ex instinctu maligni spiritus et eciam ex ebitudine mentis; et ut credit, malignus spiritus ea sibi persuasit propter condempnationem corporis et anime.

Item iterato interrogatus, an predictos errores habuerit ex informacione alicuius persone seu aliquarum personarum, dicit sub iuramento, quod non, sed ex revelacione sibi facta in choro sancti Willibaldi, ut supra prescribitur.

Item post hec^{f)} iuramento per eum corporaliter^{g)} prestito abiuravit errores et articulos supradictos et sic per dominum inquisitorem predictum receptus est ad gratiam et absolutus a sentenciis excommunicacionis, qua heretici ipso facto sunt ligati, et unioni sancte matris ecclesie est restitutus presentibus Conrado decano, Ulrico Scal^{h)}, Ulrico de Leonrod, Petro officiali, Walthero, Conrado Gleichen, Burckhardo Marschalko, Conrado oblaico et Nicolao capellano S. Pauli.

^{a)} *danach etwa 7 Zeilen Abstand in P* ^{b)} *korr. aus priori P; fehlt H*
^{c)} *profess' (= professis?), danach Interpunktions-Strich P; Komma vor professore H* ^{d)} *Der Rest von P fol. 72r leer (mindestens 20 Zeilen)* ^{e)} *aduc PH*
^{f)} *hoc H* ^{g)} *corporali H* ^{h)} *Scal. P; Stal H.*